
CHYTRÆI
ET CORVINI
GRATULATIO
AD PRINCIPI
HULDERICUM
1592. & 1593.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

35,-185-4°

D.A. BOX

(LN bis 301)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

a)

ΣΥΓΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ
QVO

Illuſtriſsimo Principi &
Domino, Dn.

HVLDERICO,
FRIDERICI II.

POTENTISS. REGIS DANIAE F.
Heredi Norvvegiæ, Duci Sleſvici,
Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmar-
ſiæ: Comiti Oldenburgæ &
Delmenhorſti &c.

Inaugurato iam

ACADEMIÆ ROSTOCHIEN-
SIS RECTORI,

Domino ſuo clementiß.
gratulatur

NATHAN CHYTRÆVS
Artis Poëtarum profeſſor.

ROSTOCHII
Typis Myliandrinis Anno 1592.

Doctiss.° viro M. Paulo Sperling R.
Scholæ patriæ mittit Ill.mi Prin-
cipis præceptor H. Gerlacius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

ΣΥΓΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ

AVguſtus Cæſar Caium quandoq; nepotem
Mitteret Armenias vbi cunctabundus in oras;
Care nepos, dixit, mea cum modò tecta relinquas,
Cæſareosq; lares; ibi quidnam à numine diuûm
Aut maius precer, aut melius, quam te ut comitetur
Vis animi, & felix magnis audacia cœptis,
Magnus Alexander magnum qua terruit orbem:
Utq; fauor tibi contingat populiq; patrumq;,
Pompeio iuueni atq; viro qui contigit olim:
Utq; adeo mea te fortuna ſequatur euntem
Et reducem. hæc Cæſar. tuus at ſi viueret (ô ſi
Viueret) ille parens, ſeptem Rex ille trionum
Maximus; externorum haud indigus exemplorum
Proſapia è propriâ tibi promere vota valeret,
Hoc alioûe modo. O fili cariſsime nobis,
Et matri, caris & fratribus HVLDERICE,

 Diſponen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

Diſponente Deo cum iam mea regna relinquas
Regalesq́; domos; tibi quidnam in nomine Chriſti
A patre cœleſti maius meliúsue precabor?
CHRIſtiani primi quam te vt ſine fine ſequatur
Proſperitas abaui: proaui & clementia mitis
FRIDRICI primi: tum manſuetudo, piaq́;
Relligionis amor, quo tertius ille paternus
CHRISTIades auus ille tuus iam floruit olim;
Et quo floret adhuc Dux HVLDEricus, in arces
Cuius abis, maternus auus tuus ille, ſocerq́;
Ille meus, canis merito, & virtute verendus,
Conſtantis princeps animi, rectiq́; tenacis,
Et columen Megales--poleωs hoc patre beatæ:
Quoq́; adeo à primis floreſcit ſuauiter annis
CHRISTIanus frater maior, cui poſt mea fata
Danorum proceres ſpondent ſceptrumq́; coronamq́;.
His mea ſi accedat pariter prudentia, & ingens
Inuictusq́; animus (liceat mihi talia tecum,
Mi fili, ſine fraude loqui) præclarius vſquam,
Et melius, maius, præſtantius eſſe quid vno
Te poterit? quod & opto tibi. nec ſpero futura
Irrita vota patris. tu cœptum ſtrenuus vrge.
Hæc rex, hæc genitor tibi ſors dixiſſet eunti,

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

Quæ tibi nunc memores heroo carmine Muſæ
Varniades referunt, quandò, ſua vota paternis
Iungentes votis, pariter tibi ſceptra roſeti
Commendant traduntq́ ſui, ut, Cyrus velut alter,
Iam nunc aſſueſcas Rector Ductorq́ vocari,
Reuera & fieri. quod auorum exempla ſequendo;
Teq́ regendo ipſum ſummi ad præcepta Iehouæ;
Et conſultores mutos ſtudioſè adhibendo;
(Vt facis, & facies magna cum fruge deinceps)
Mox tibi continget iuueniq́, viroq́, ſeniq́
Præpoſito imperiis maioribus, omina quorum
Sunt hæc in docilem quæ ſumis ſceptra iuuentam.
Omine ſis felix tanto HVLDERICE: tuiſq́
Proficito ſic in ſtudijs, vt dicere quondam
Varniades meritò poſſint, quod clara roſarI
Sceptra ſui tulerit nemo, nemoq́ deinceps
Laturus ſit te, ô princeps, præſtantior vno.

NATHAN CHYTRÆVS.

PRÆ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

PRAECEPTA M. AVRELII Antonini Veri, quæ filio Commodo, vnà cum Imperio tradidiſſe fertur.

NOn ego propter opes dignabar honore tyrannum,
Non ob pauperiem ſpretus egenus erat.
Oppreßis datus eſt aditus. non munere diues
Iudicium potuit ſollicitare meum.
Quæſiui nunquam dicendo in iure fauorem.
Inq; reos etiam parcior ira fuit.
Vt decuit, iuſtis affeci crimina pœnis.
Atq; bonis tribui prœmia digna viris.
Nullam ſum paſſus cauſam tractare propinquos,
In dubia iudex haud ego ſolus eram.
Aſpera non, æquum poſcenti, verba remiſi;
Iudice me pronàm ſenſit egenus opem.
Non quenquam ſubita multaui concitus ira,
Promiſi indignis dona nec vlla viris.
Non nimium rebus florens lætabar opimis,
Frangebant animum nulla pericla meum.

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]

Non auri quicquam commiſi captus amore,
Nec nocuit trepidis feruida dextra reis.
Non aſſentator noſtram eſt admiſſus in aulam,
Nec detrectanti mens patefacta fuit.
Hoc erat in votis homines defendere iuſtos,
Et multare, decet qua ratione, malos.
Singula quid referam? miſeros complexus amore
Sum patrio, oppreſſis frater & hoſpes eram.
Quod ſupereſt, ſtudui doctisq; bonisq; probari.
Primaq; cura fuit poſſe placere Deo.

M. B. G. A.

EIDEM
HVLDERICO
PRINCIPI ET RECTORI
ILLVSTRISS.

VT videas me, Huldrice potens, norisq; fidelem
Præconem veſtræ perueteremq; domus;
Exiguo huic, hunc maiorem quoq; iungo librum, in quo
Sæpe patrem & matrem, ſæpe videbis auos,
Heroasq; alios, quorum ſi ad ſplendida facta
Compones mores ingeniumq; tuum;
Singula quæ data ſunt aliis encomia, dicam
Omnia deberi Dux generoſe tibi.

NATHAN CHYTRÆVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 301 [35,-185 4°]